

ex eadem radice orta est illa horrenda Luciferi superbia, qua voluit in altissimis ponere sedem suam, & Deo per omnia æquari. Nam ille (ut de Narcisso postea fabulatur) suam eximiam pulchritudinem, in qua Deus, gratiam illi infundens, illum creaverat, concipiens, usque adeo sui ipsius amore deperit, unde superbia elatus evanescebat, & Deo æquari contenderet. Effet etiam hæc propria justificationis certitudo, præsertim viris imperfectis, occasio desidia, & somnolentiæ, & otiositatis, quæ (ut ait Sapiens (Eccle. 33.) *multam malitiam docere solet*. Omnes enim sacri doctores concorditer docent, ideo Deum incertam nobis fecisse horam mortis, ne homines inde acciperent occasionem turpiter & scelerate vivendi usque ad tempus illud, cum spe faciendi penitentiam tempore mortis. Idem profus eveniret si homines certam haberent suam justificationem, quia putantes se jam esse justos nihil jam amplius de acquirenda justitia curarent, & inde facile pervenirent ad perdendam justitiam semel acquisitam.

Sed jam opus esse cenſeo, ut argumentis, quæ magis ex naturali ratione procedunt finitis, ad sacræ scripturæ testimonia accedamus, ut illis contra Lutheranos pugnemus, ne nos, ut solent, sophistas appellent. Nam quoties Catholici contra hæreticas illorum assertiones argumentis adeo efficacibus, & evidentibus pugnant, ut nihil vel juxta faciem veritatis respondere possint, statim clamant esse sophista, & nos omnes ob eam causam sophistas appellant, cum tamen illi nihil magis sint quam meri sophistæ. Ne igitur in hac gravissima causa occasionem capiant clamandi idem adversus nos, operæpretium me facturum esse cenſui, si argumentis ex sola humana ratiocinatione, supposita tamen fide, procedentibus finem ponerem, & sacræ scripturæ, de qua illi nimium se jactant, apertissimis testimoniis contra illos pugnarem. Sed antequam hoc agam, oportet prius admonere lectorem, ut sciat, in Concilio Tridentino, ubi hæc causa per multum tempus diligentissime examinata est, fuisse aliquos viros Catholicos, quamvis paucos & non admodum doctos, qui justificationis certitudinem, citra specialem Dei revelationem, possibile esse contendebant. Verum illi multum à Lutheranis in hujus assertionis defensione differabant, quia illi negabant, omnem fidelem esse obligatum ad credendum, remissa sibi gratis esse peccata sua propter Christum. Negabant etiam, omnem hominem justum esse certum suæ justificationis. Hoc solum docebant, per sacramentum baptismi aut penitentia, citra specialem aliquam Dei revelationem, posse hominem esse certum certitudine fidei Catholicæ se esse in gratia. Et quidam ex illis dixit, & libello postea de hac re ædito publice asseruit, non solum eos qui sacramentum baptismi aut penitentia recipiunt esse tunc certos, sed etiam illos qui longe post sacramenta recepta vehementi charitatis fervore ardent, habere tunc certitudinem fidei Catholicæ de gratia Dei in illis habitante. Et quia aliqua testimonia sacræ scripturæ, ex illis, quæ nunc proxime citabo, ita etiam pugnant contra istos, sicut contra Lutheranos, ideo nunc ante omnia istorum assertionem declarare statui, ut quem aliquid ex hujusmodi testimoniis citavero, ostendam tunc simul contra illos omnes pugnare. Quum hoc meum opus adversus omnes hæretes in publicum primo emisit, inter pauca quædam quæ adversus hanc hæresim tunc protuli testimonia, primum fuit, quia apertissimum pro hac re mihi tunc visum est, illud Salomonis in Ecclesiaste cap. 9. *Nemo scit, an odio vel amore dignus sit: sed omnia in futurum servantur incerta*. Quæ verba ego postea diligentius circumspiciens, aperte intellexi (ut ingenue fatear) dubium pro nobis in hac causa reddere testimonium. Quoniam verba illa Salomonis multi viri docti & sancti, ut Bernardus, & Geison, & Dionysius Carthusiensis interpretantur, non de amore aut odio Dei secundum præsentem justitiam, sed secundum finalem perseverantiam. Qui sensus videtur colligi ex illis quæ Salomon statim addidit, sic dicens: *Sed omnia in futurum servantur incerta*. Nam alias, si de præfenti statu essent illa intelligenda, falsum esset (ut apertissime constat) quod nemo scit an odio dignus sit. Quoniam etsi nemo scire possit se à Deo amari, multi tamen, nempe fures, adulteri, homicidæ, & omnes alii similibus sceleribus impliciti, intelligunt se tunc odio haberi à Deo, quia sciunt, nisi profus dementes sint, Deum odio habere iniquos. De illo igitur solo amore, & de illo odio, Salomonem loqui putant, quo Deus sic aliquos amat, ut eligat ad gloriam æternam, alios sic odio habet, ut ordinet in pœnam æternam. Et de hoc amore & hoc odio (ut Paulus interpretatur Rom. 9.) intelligitur id quod Deus per Malachiam Prophetam ait: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*. Est ergo Salomonis sententia, juxta istorum interpretationem, quod nemo esse se scire potest, an sit à Deo electus, an non, sed omnia hæc in futurum servantur incerta, usque in diem judicii, in quo illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit conscientia cordium. Nemo aliquid horum scire potest, ex consideratione rerum externarum, sive prospera sint, sive adversa, quia hæc omnia possunt justo perinde ac peccatori contingere. Et ideo Salomon post prædicta verba de ignorantia amoris & odii, quia omnes nos laborare dixit, statim subdidit: *Omnia pariter eveniunt justo & impio*. Juxta hunc sensum interpretatur illa verba Olympiodorus in commentariis super Ecclesiasten. Rejeto ergo illo testimonio, propterea quod dubium est, & non convenit inter omnes de sensu illius, oportet ut aliunde capiamus testimonia, quæ multa se nobis gratis offerunt.

Job ille sanctissimus, simplex, & rectus ac timens Deum, tot tamque manifesta pro incertitudine gratiæ præbet testimonia, ut nesciam quæ aliis præferam: Si venerit ad me (inquit ille cap. 9.) *non videbo eum, si abierit, non intelligam*. Quæ verba, ut apertissime constat, non possunt intelligi de motu locali, quia cum nullus sit locus, ubi Deus non sit, convincitur inde, illum ad nullum locum venire posse, nec ab aliquo loco recedere. Sunt ergo verba illa intelligenda de adventu Dei in animam hominis per gratiæ suæ infusionem, de quo adventu Salvator noster locutus est, quum dixit: (Joann. 14.) *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. De hoc ergo adventu loquens Job dicit: *Si venerit ad me, non videbo eum: si abierit non intelligam*. Quibus verbis fatetur Job se nescire, quando Deus illi gratiam suam infuderit, aut si quando illam semel donatam, postea propter peccatum ab eo commissum subtraxerit. Huic nostræ interpretationi favet beatus Gregorius, quæ prædicta verba Job interpretans in Moralibus, hæc ait: „Accessus recessusque Dei à mente nostra, minime cognoscitur, quousque rerum alternantium finis ignoratur. Quia & de tentatione incertum est, utrum probet, an trucidet, & de donis nequaquamprehenditur, utrum hic desertos remunerent, an in via nutriantur, ut ad patriam perducantur.“ Hæc Gregorius. Si Job vir sanctissimus, cui Deo pro illo testimonium dante, tunc non fuit similis su-

per terram, fatetur se ignorare gratiam sibi à Deo collatam, vel hac sola ratione deberent, vereri Lutherani omnes, jactare se esse certos de gratia Dei in illis habitante. Quod autem Job dicit se, non intelligere recessum Dei, id est, gratiæ divinæ subtractionem, non est omnibus peccatoribus tribuendum, ut illi omnes ignorent se gratia divina carere, sed ad ipsum Job solum, & alios illi similes verba illa referenda sunt, qui quamvis multa bona operati sint, ignorant tamen an aliquod, in illis lateat peccatum, propter quod merito Deus ab illis recesserit. Progreditur ultra Job, (cap. 9.) ut hanc suæ gratiæ incertitudinem manifestet, & ait: *Si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicium deprecabor*. Videte obsecro modestiam, locutionis hujus sancti viri, qui quamvis re vera esset justus, non ausus est dicere se habere aliquid justum, sed sub conditione locutus est, sic dicens: *Si habuero quippiam justum, non respondebo, sed meum judicium deprecabor*. Et ut magis aperte declaret suam incertitudinem, statim addit: *Et cum invocarem exaudierit me, non credo, quod audierit vocem meam*. Quid apertius dicere potuit, ad manifestandam incertitudinem suæ justificationis? Sed hoc non contentus, adhuc paucis interpositis, subdit: *Si justificare me voluerit, os meum condemnabit me: Si innocentem offendero, prævum me comprobabit. Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*. Quæ verba interpretans beatus Gregorius in Moralibus ait: „Sunt nonnulla quæ sciri à nobis facile nequeunt, etiam cum geruntur. Nam sæpe recto studio, contra delinquentium culpas accendimur, & cum ultra æquitatis metas per iram rapimur, hoc zelum justitiam, & distinctionis æstimamus. Sæpe officium prædicationis, assumimus, ut per hoc fratrem utilitati serviamus, sed nisi placeamus illi, cui loquimur, nequaquam libenter accipit, quod prædicamus. Cumque placere mens uti, licet studeat, ad amorem laudis propriæ defluit turpiter, & quæ à captivitate vitiorum alios curabat erueri, ipsa suis favoribus incipit captiva servire. Quasi latrumculus quippe est appetitus laudis humanæ, qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur, cumque propositæ utilitatis intentio ad studia privata deducitur, horrendo modo tantum idemque opus culpa peragit, quod virtus inchoavit. Et postea pauca subdit. Sæpe dum nosmetipsos plus justo discutiimus, de ipso discretionis studio indifferenter erramus, & mentis nostræ acies, quo plus certè nostra, torpentes nos omnino nescimus, aut si subtili nos discussione requirimus, plerumque inter vitia, virtuteque caligamus, recte nunc dicitur: *Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea*.“ Hæc ille. Et post pauca exponens illud ejusdem Job: *Et tadebit me vita mea*, sic ait: „Tedet justum vivere, quia & operando vitam non desinit querere, & tamen ejusdem vitæ suæ meritum non valet invenire.“ Hæc ille. Sed Job, ut sua testimonia confirmaret, rationem suæ sententiæ, quam de incertitudine suæ justificationis protulerat, nunc reddere vult, ostendens neminem esse certum de bonitate suorum operum, & ait: *Verebar omnia opera mea: sciens quod non parceres delinquenti*. Quæ verba interpretans beatus Gregorius, postquam præclara & multa Job opera recensuit, hæc ait: „Quid ergo est, quod mira opera faciens, hæc ipsa etiam veretur pavens, cum

„dicit, verebar opera mea, nisi quod in sancti viri actibus, verbisque colligimus, ut si placere Deo vereretur, cupimus, postquam perverta subjungimus, ipsa in nobis, etiam bene gesta timeamus. Et post pauca subdit: *Ipsa igitur bona nostra, quæ insidialis culpæ, evade, te gladium nequeunt, nisi sollicito quotidie timore nutiantur, per sanctum recte nunc dicitur: Verebar omnia opera mea*. Ac si humili confessione diceretur: Quæ aperte egerim video, sed quid in his latenter pertulerim ignoro. Sæpe enim nonnulla bona nostra hircocinanti fraude perent, quia rectis se nostris actibus, concupiscentiæ terrenæ subjungunt. Sæpe desidia interveniente deficiunt, quia fervore quo cæpta sunt frigidescunt, amore tabescunt. Quia ergo culpa surreptio, vel in ipso virtutis actu vix vincitur, quid ad securitatem superest, nisi ut studiose semper, & in virtute timeatur.“ Hæc Gregorius. Tanta fuit firmitas in beato Job, de incertitudine bonorum operum suorum, quæ sunt necessaria ad justificationem, ut prioribus verbis non contentus ultra progredi voluerit, sic dicens: Si lotus fuero aquis nivis, & fuserint velut mundissimæ manes meæ, tamen sordibus iningerit me, id est, ut beatus Gregorius interpretatur, sordidum me declarabis, & sordidum me esse manifeste ostendes. Hoc ideo dixit Job, quia sciebat, quod quantumcumque opera sua scrutaretur, & conscientiam suam mundare vellet, adhuc poterant in illo esse aliqua peccata abscondita, quæ ipsam laterent, propter quæ merito esset impedita ejus justificatio. Et in alio loco (cap. 14.) iterum ait Job: *Sive nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles, non intelligit*. In quorum verborum interpretatione beatus Gregorius hæc ait: „Non incongrue filiorum nomine opera designantur, sicut Paulus dicit: (1. Tim. 2.) *Quia salvabitur per filiorum generationem*. Neque enim mulier que continentiæ studens, nequaquam filios generat salva non erit, sed per generationem filiorum salvari dicitur, quia per effectum bonorum operum perpetuo saluti associatur. Nobiliter ergo sunt filii recta opera, ignobiles autem facta peccata. Et sæpe homo agere quælibet, bona intentione nititur: sed tamen pro multis quæ surripiunt, ejus acta apud omnipotentem Deum, qualiter habeantur, incertum est. Sive itaque nobiles fuerint filii ejus, sive ignobiles non intelligit: quia subtili examine discussa, utrum aprobentur ejus opera, an reprobandur, ignorat.“ Hæc Gregorius, quem tam prolixè citavi propterea quod certitudinis assertores conieciunt illum, in sui favorem trahere. Ut igitur omnibus constet falso illos jactare Gregorium, pro illis sententiam dixisse, volui tam multa ex Gregorio testimonia citasse, quibus apertissime nostra sententia de incertitudine gratiæ confirmatur. Hæc omnia testimonia quæ ex beato Job protulimus, non solum contra Lutheranos militant, sed etiam contra Catholicos, quos supra diximus certitudinem gratiæ, utcumque favere. Nam si Job ille sanctissimus, cui non erat similis super terram, nesciebat adventum Dei in animam suam, aut recessum ejus ab ea: si ille simplicitatem suam ignorabat, quis erit tam perfectus, qui contra omnem Dei revelationem, poterit gloriari se certo scire adventum Dei in animam suam, & in illa commorari? Si Job veretur omnia opera sua, quis erit tam perfectus, qui certo sciat opera sua esse perfecte bona & Deo grata? Si aliquis est certus de sua gratia, non est eum vereatur sua opera. Nam ille qui est in Dei gratia, & hoc certo scit, necessarium est, ut etiam certo

sciat.

condita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo. Tam prolixè hunc Pauli locum citavi, quia multa in illo mihi videntur contineri, quæ incertitudinem gratiæ manifestissime probant. Sed antequam vim & energiam illorum verborum pensemus, opus est admonere prius lectorem, ut intelligat Paulum in illis verbis suam ostentare incertitudinem gratiæ; quia id non vere de se dixisset, qui per divinam revelationem, certus erat non solum de præsentis iustificatione, sed de corona iustitiæ, quam à iusto iudice se habiturum certissime credebat, & firmissime sperabat. Paulus (ut sæpe alias facere solet) alios admonere volens, quid illos agere oporteat, sub nomine suo locutus est, ut libertatis acciperent doctrinam, & patientius ferrent reprehensionem de fiducia propriæ conscientiæ. Et hoc an- te me annotavit Theophylactus, qui super illa verba, *michi pro minima est*, &c. ait: „Hæc autem non de seipso, sed vere dicit, non enim ipsum prorsus iudicabat: sed ut ne alios iudicet, in propria persona, quod vult, perficit. Et postea super illa verba: *Nolite ante tempus iudicare*, iterum ait: Ita namque divus Paulus perpetuo solet quæ alterius sunt, in propriam transferre personam, in que seipso docere, quæ alios est docturus.“ Hæc Theophylactus. Et ante Theophylactum hoc idem docuit Chrysostomus super eadem Pauli verba, homilia 11. super priorem epistolam ad Corinthios, sic inquit: „Nemo tamen Paulum, ut stultum reprehendat, quod neminem dignum ducit, qui de seipso ferat sententiam. Primum enim non propter se hoc dicit, sed propter alios.“ Hæc Chrysostomus. Hoc itaque supposito fundamento, primam annotandam in verbis Pauli est, quod testimonium propriæ conscientiæ, quo illa testatur se nullum proprium peccatum scire, non est satis ad hoc, ut homo certus credat se esse iustum. *Nihil* (inquit) *michi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum;* hoc est, non propter hoc possum pronuntiare me iustum. Nam solemne est Paulo hanc præpositionem, *In*, capere pro illa præpositione *propter*, aut pro illa præpositione *per*. Sic accepit ad Ephesios loquens, (cap. 2.) quum dixit: *Confedere nos fecit in caelestibus in Christo Jesu, id est, per, aut propter Christum Jesum.* Et iterum: *Nunc autem in Christo Jesu, vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi,* hoc est, per sanguinem Christi. Alterum in verbis Pauli annotandum est, quod nemo potest omnia secreta cordis sui plene scrutari, sed solus Deus est qui renes & corda scrutatur. Et ideo dixit: *Sed neque meipsum iudico. Qui autem iudicat me: Dominus est.* Tertium annotandum deducit Paulus ex secundo dicto, quod nemo potest veram de se proferre sententiam, quia nemo potest vere iudicare nisi de illis, quæ perfecte novit. Et ideo monuit ut nolimus iudicare ante tempus, *quousque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Quod de iudicio cordis proprii intelligendum est, perinde ac de iudicio alieni.

Et hunc esse verum Pauli sensum, aperte docent omnes sacri doctores, qui illa Pauli verba alicubi interpretati sunt. Hieronymus lib. 2. dialogorum contra Pelagianos prædicta verba pertractans, ait: „Qui hoc dicebat, nullius utique peccati sibi conscius erat, sed quia legerat, *delicta quis intelligit?* (Ps. 18.) *Et sunt viæ quæ videntur viro iustæ, novissima autem eorum respiciunt in profundum inferni.* (Prov. 14.) & iterum: *Omnia vir videtur sibi iustus, Deus autem corda hominum dirigit*

(Eccle. 17.) iudicare temperabat sententiam, ne forte per ignorantiam deliquisset, maxime cum scriptura testatur: *Est iustus, qui perit in iustitia sua.* Et alibi: (Deut. 16.) *Iuste quod iustum est scietis,* ne opinione veritatis à iustitia declinemus recordantes Saulis, & Acham. Hæc Hieronymus. Augustinus super Psalmos exponens illum versum ex Psalm. 42. *Abyssus abyssum invocavit,* obiter illa Pauli verba interpretatur, sic dicens: „Abyssum invocant sancti Prædicatores verbi Dei. Numquid ipsi abyssus? ut noveris quia abyssus & ipsi, Apostolus ait: *Minimum est ut à vobis dijudicet, aut ab humano die.* Quanta autem abyssus sit, audite amplius. *Neque enim ego meipsum dijudico.* Tantamne profunditatem creditis esse in homine, quæ lateat ipsum hominem in quo est? Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid in se ageretur intus nesciebat, & se moriturum cum Domino vel pro Domino temere promittebat. Quanta abyssus erat? Quæ tamen abyssus nuda erat oculis Dei. Nam hoc illi Christus prænuntiabat, quod in se ipse ignorabat. (Mar. 14.) Ergo omnis homo licet sanctus, licet iustus, licet in multis proficiens, abyssus est.“ Hæc Augustinus. Et Chrysostomus homilia 11. super priorem epistolam ad Corinthios, exponens illud: *Nolite ante tempus iudicare*, ait: „Quod si in quibus ipse peccavi, inquit, nihil certo mihi conficius sum, quo pacto dignus fuero qui de aliis feram sententiam? Quia autem ratione si res meas non satis exploratas habeo, aliena potero dijudicare? Quod si Paulus hæc continebat, longe magis & nobis. Etenim ita loquebatur, non ut seipsum irreprehensibilem diceret. Sed si quisquam apud eos inveniretur qui nihil peccasset, neque hunc dignum fore, qui cæterorum vitam examinaret, offenderet, quodque si hunc nihil conficius, reum esse inquit, multo magis qui multorum sibi conficius sunt.“ Hæc Chrysostomus. Et Haymo super Paulum prædicta verba exponens, ait: „Si ego meipsum irreprehensibilem invenio, qui melius meipsum novi quam vos, quomodo potestis dijudicare conscientiam meam, facio quicquid facio, maxime cum nemo sciat hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in ipso est. Felix conscientia, quæ ita de se audet loqui secure. Et ne videretur Apostolus præsumptivè ac superbe talia fateri, subiungit: *Sed non in hoc iustificatus sum.* Subaudis apud me, vel apud Deum: ac si diceret alii verbis: *Licet ego in me nihil mali, nihilque reprehensionis, ne dignam inveniam, ut quidam mihi detrahant iniuste, quidam extollant suis favoribus, tamen non ideo iustificatus sum apud me, neque iustificatum esse credo per hoc apud Deum, quia nescio utrum placeant ei quæ ago, aut qualiter ea accipiat, qui melius cognoscit quid sit in me, quam ego, quoniam etsi in malis operibus peccatorum non deliqui, saltem in cogitationibus deliqui, & peccavi. Melius quidem ego me meipsum cognosco, quam vos qui me dijudicatis & detrahitis, & melius Deus, quam ego. Et paucis interpositis iterum ait: Quantum enim possunt homines de alio iudicare, plus homo utique de seipso: sed Deus plus de homine, quam homo de se. Tanta profunditas enim in homine, ut lateat plerumque ipsum hominem in quo est. Quanta profunditas infirmitatis latebat in Petro, quando quid intus in se ageretur nesciebat, & se cum Domino, vel pro Domino moriturum, temere promittebat. Nam hoc illi Christus prænuntiabat, quan-*

do

do ipse in se ignorabat. Hæc Haymo, & fere sunt eadem cum illis, quæ nunc proxime citavimus ex Augustino. Eodem modo interpretatur illa Pauli verba Ambrosius super epistolas, & Anselmus ibidem, & Bernardus epistola 42. quorum verba supra in alium sinem fuerunt in hac disputatione citata, & ideo non est opus ea nunc repetere. Præterea, illud etiam est manifestum contra Lutheranos, quod in posteriore ad Corinthios epistola cap. 10. Paulus ait: *Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Ex quibus verbis aperitissime convincitur falsum esse quod Lutherus ait: *Crede te absolutum, & crïs absolutus.* Et illud Philippi Melanctonis: *Si firmiter credis peccata tibi esse remissa per misericordiam Dei, & per sanguinem Christi, iustificatus es. Non enim qui seipsum commendat, ait Paulus, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Et in eadem epistola iterum ait: *Vosmetipsos tentate, si fidei in fide, ipsi vos probare. Si homines essent certi de sua iustificatione, non esset opus admonere illos, ut tentarent semetipsos. Et rursum alibi ait: (Galat. 6.) Si quis existimat aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Ex quibus verbis aperte colligitur, ut omnis qui abique Dei revelatione specialis, credit firmiter se esse iustum, sit à seipso seductus, quia omnis talis existimat se non solum aliquid, sed magnum aliquid esse. Nam magnum coram Deo est, qui iustus est.

Quamvis testimonia sacre scripturæ, quæ hæcenus pro incertitudine gratiæ citavimus, sint efficacissima, ad majorem tamen hujus sententiæ confirmationem, volo ostendere hanc esse & semper fuisse totius Ecclesiæ Catholice sententiam, per hoc quod omnes doctores Catholici semper eam docuerunt.

Et quidem pro hac re satis esse possent testimonia illorum sanctorum virorum, quos supra protulimus ad ostendendum verum sensum illorum locorum sacre scripturæ: quæ ad comprobandum incertitudinem gratiæ citavimus. Sed quia curiosus, aut dubius lector plura forte desiderabit, ea nunc illi offerre volo, ex quibus aliqua plene & integre referam, alia vero, ne nimia prolixitate præbeam fastidium aliis bene in hac nosstra & Catholica sententia confirmatis, solum digito indicabo in locis ubi illa invenire possit. Cyprianus in sermone de elemosyna, hæc ait: „Agnoscamus fratres sanctissimi divinæ indulgentiæ munus salubre, & emundandis purgandisque peccatis nostris, qui sine aliquo conscientiæ vulnere esse non possumus, medelis spiritualibus vulnera nostra curemus. Neque quisquam sic sibi blandiatur, de puro atque immaculato corde, ut innocentia sua fretus, medicinam non putet esse adhibendam vulneribus, cum scriptum sit: (Prov. 20.) *Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum esse à peccatis suis?* Et iterum in epistola sua Joannes ponat, & dicat: (1. 1.) *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos decipimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis & iustus est Dominus, qui nobis peccata dimittat.* Si autem nemo est, se sine peccato potest, & quisquis se inculpatum dixerit, aut superbus, aut stultus est, quam necessaria, quam benigna est clementia divina, quæ cum sciat, non desse sanitatis quædam postmodum vulnera, dedit curandis denuo, sanandisque vulneribus remedia salutaria.“ Hæc ille. Hieronymus præter loca superius citata, adhuc eandem sententiam docet in commentariis super caput tertium Hieremias, & super 13. eisdem, &

super Micheæ 6. Augustinus super illud Psalmi: *Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi*, hæc ait: „Quæ occulta? Quæ incerta? Quia Deus ignoscit & talibus. Nihil tam occultum, nihil tam incertum. Ad hoc incertum Ninivæ penitentiam egerunt: dixerunt enim: *quamvis post minas Prophetæ, quamvis post illam vocem: (Jona 3.) Triduo Ninive everteretur*, dixerunt apud se, *petendam esse misericordiam.* Dixerunt ita apud se disceptantes, quis novit, si Deus flectat in melius sententiam suam, & miseretur? Incertum erat cum dicitur, *quis novit? De incerto penitentiam egerunt, certam misericordiam meruerunt.* Prostraverunt se in lachrymis, in jejuniis, in cilicio, & in cinere. Prostraverunt se, genuerunt, flevērunt, pepererunt Deus. Stecit Ninive, an everta esset Ninive? Aliter quidem videretur hominibus, & aliter visum est Deo.“ Hæc Augustinus. Et idem prorsus docet in libro 83. quæstionum, quæst. 58. & sermone 16. De verbis Apostoli, & in lib. De prædestinatione sanctorum, cap. 20. Gregorius præter tam multa, quæ ex moralibus illius super Job citavimus, adhuc ex professo idem docet in quadam epistola ad Gregorium Augusti cubiculariam, & est in libro sexto registri, cap. 186. Iudorum libro 2. De summo bono, cap. 13. „Sunt qui penitentibus securitatem cito pollicentur, quibus bene per Prophetam dicitur: (Hierem. 6.) *Curabant contritionem filia populi mei cum ignominia, dicentes: Pax, pax, & non erat pax.* Cum ignominia igitur curat contritionem, qui peccanti, & non legitime penitentem promittit securitatem. Et paucis interpositis, subdit: *Quamvis per penitentiam propitiatio peccatorum sit, sine metu tamen esse homo non debet: quia penitentis satisfactio divino tantum pensatur iudicio, non humano.* Proinde quia miseratio Dei occulta est, sine intermissione flere necesse est. Neque enim tum, quam oportet penitentem habere de peccatis securitatem. Nam securitas negligentiam parit, negligentia autem sæpe incautum ad vitia transacta reducit.“ Hæc tenus Ildorus, qui aperitissime nostram & Catholicam sententiam docet.

Joannes Gerson in quodam tractatu de signis bonis & malis, qui est in quarta parte operum illius, hæc ait: *Signum malum iudicare se esse in gratia cum certitudine, nisi per revelationem claram habeatur, cum sufficiat profectu præsentis propabilis conjectura.* Nescit quippe homo an amore vel odio dignus sit, tum quia nescit an opera sua acceptentur coram Deo: Tum quia ignorat quia distinctione iudicentur, aut quo fine terminentur: Tum quia mentalis oculus cæcitiens est, purans aliquando de gratiis gratis datis, vel acquisitis gratiam esse gratum facientem: Tum denique quia angelus fatanz (1. Cor. 11.) transfiguratur in Angelum lucis exufflans per aliquam latentem superbiam flammam charitatis, conservans nihilominus lucem quamdam acquisitæ seu consuetudinalis virtutis. Hæc ille. Et eandem sententiam docet in tractatu de præparatione ad missam, qui est in secunda parte operum suorum.

Post istos omnes viros illustres succedit tota turba scholasticorum Theologorum, & quibus multa fuerunt sanctitate perinde ac doctrina clari qui omnes concorditer docent hanc nostram & Catholicam assertionem de incertitudine gratiæ inhabitantis. Istorum verba non referam, sed satis erit indicare locum lectori. Alexander de Hales in tertia parte summæ Theologicæ, quæstione vigesima-septima. Sanctus Bonaventura in primo sententiarum distinctio-

sciat absque ulla dubitatione se habere aliqua bona opera, & Deo grata, præsertim quando se exercet in aliquibus operibus mandatorum Dei. Scio esse aliquos qui his omnibus testimoniis, ex libro Job citatis univertaliter respondent, illa omnia dixisse Job, non ideo quia verba essent, sed propter humilitatem, ut inane gloriam prorsus à se rejicerent. Sed certe de hac responsione merito dici potest illud Poetæ:

*Incidit in Scylam, cupiens vitare Charybdim.*

Nam responsio illa aliam assertionem includit non minus pestilentem, quam illa de incertitudine gratiæ, pro qua tuenda, in hac incidere volunt. Dicunt enim in hac sua responsione licitum esse homini propter humilitatem mentiri, quod est manifeste erroneum, ut infra Deo duce, aperte convincemus in titulo de mendacio, quia non sunt faciendi mala, ut inde eveniant bona.

Rursum, hanc nostram & Catholicam assertionem de incertitudine gratiæ confirmare volo testimoniis David Prophetæ, & primum sit illud quo Reges admonens, ait: (*Psal. 2.*) *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Ut autem apertius hoc Prophetæ testimonium intelligatur, audiamus Cassiodorum prædicta verba interpretantem, qui hæc ait: „Brevi & plena commotione, qua Domino Deo amabili timore servitur. Nam sicut remissa securitas culpas admittit: ita timor debilis delicta semper excludit, & ne servitium Dei durissimum, aut tristissimum forte putaretur, subiungit: *Ex exultate ei cum tremore.* Quia timor Domini, non ad miseriam, sed gaudium ducit: quippe qui beatos efficit & sanctos operatur. Et iterum ne hæc exultatio negligens redderetur, addit: *cum tremore*, ut utraque sociata celestem reverentiam competenter exprimeret. Hæc Cassiodorus. Est alterum ejusdem Prophetæ, in (*Psal. 118.*) testimonium, ubi hæc ait: *Delicta quis intelligit? Quo loquendi modo per interrogationem, inquit nullum esse, aut saltem rarum, qui delicta sua omnia possit intelligere. Nam quod aliqua intelligere homo possit, ipsemet aibi docui, sic dicens: (Ps. 50.) Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper. Et iterum alibi: (Psalm. 31.) Delictum meum cognovisti tibi feci. Potest igitur homo aliqua cognoscere peccata, sed non omnia, quia multa sunt quæ sæpe nos ignorantes commisimus, aut omisimus, alia etiam sunt quæ postquam commissa sunt, nobis ignorantibus manent. Ex quibus convincitur neminem posse esse certum de sua justificatione. Nec valet quorundam responsio dicentium, Prophetam in illo loco locutum esse, non de peccatis mortalibus, sed de solis venialibus. Nam Prophetam indifferenter locutus est de peccatis voce communi, sine ulla distinctione: non est ergo rationi contententium, ut quod Prophetam absolute dixit, aliquis ad sola venialia restringere velit; quia ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus, præsertim quod ex ipsa littera constat plus de mortalibus verba illa esse intelligenda, quam de venialibus, propterea quod post illa verba statim subdidit: *Ab oculis meis munda me Domine.* De illis ergo delictis loquitur, quæ hominem immundum ac sordidum faciunt. At, peccata mortalia multo magis reddunt hominem immundum ac sordidum: ergo illa etiam sunt quæ multi homines sæpe non intelligunt. Et certe de hujusmodi peccatis mortalibus interpretantur illa verba Prophetæ. Anselmus in commentariis, super quartum caput prioris epistolæ ad Corinthios, & Bernardus epistola quadragesimæ secunda, quæ est ad Archiepiscopum Senonensem. Ambo enim inter-*

pretantur de illis peccatis, quæ hominis justificationem impedire possunt.

Præterea, hanc nostram sententiam de incertitudine justificationis apertissime probat, id quod Dominus, per Hieremiam Prophetam, (*cap. 17.*) ait: *Pravum est cor hominis, & inferscrabile, & quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes.* Si homo non potest perferatui cor suum: ergo non potest certo cognoscere se esse in gratia: quia multa possunt esse in corde nostro abscondita, quæ sufficient ad impediendum gratiam. Hoc testimonium non solum pugnat contra Lutheranos, sed etiam contra Catholicos qui certitudinem gratiæ tuerentur. Sed ut omnibus notum sit, quantum habeat hoc testimonium contra illos omnes efficaciam, audire oportet beatum Bernardum, qui in epistola 42. ex illis Hieremias verbis arguit, justos esse de sua iustitia incertos. Sic enim ait: „*Pravum est cor hominis, & inferscrabile, ita ut nemo sciat que sunt in homine, nisi spiritus hominis qui in eo est, sed nec ipse plane.* Nam cum Apostolus diceret: (*1. Cor. 4.*) *Mihi pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, adiecit, sed nec ego meipsum iudico.* Quare? Quia non possum, ait, ratam vel ipse de me proferte sententiam. *Ego enim nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum.* Non ex toto credo me vel ipsi conscientia mea: quippe cum ne ipsa quidem queat me comprehendere totum. Nec potest judicare de toto, qui totum non audit. *Qui autem iudicat me, Dominus est.* Dominus (inquit) cuius utique scientiam non effugit, sententiam non subterfugit, etiam quod propriam latet sententiam. *Audit Deus in corde cogitantis, quod non audit, vel ipse qui cogitat.* Et paucis interjectis subdidit: *Verumtamen delicta, quis intelligit? Nam si possum dicere cum Paulo, quod quidem longe est à me, nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc esse justificandum, oporteret me gloriari. Non enim qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat.* *Si applauserit mihi humanus dies, pro minimo habeo, quia ille lucet tantum in facie. Homo enim videt in facie, Deus autem inuiscatur cor.* Propter hoc Hieremias non satis popularibus sententiis, velut quibusdam humani diei radii movebatur, sed fidenter loquebatur Deo: (*cap. 17.*) *Diem hominis non concupio:* Tu scis, si meus mihi arriserit dies, neque meipsum, inquit, iudico, quia neque ipse me satis intelligo. Solus meritis constitutus est iudex vivorum & mortuorum. Solum attendo iudicem, quem & solum iustificare cognosco. Pater dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Non usurpo mihi, vel super me, servus filii potestatem: neque me annuero illis, de quibus ita conquiseri solet. Tulerunt homines à me iudicium. Et mox addit: *Velim, nolim, ipsi me stare necesse est, ipsi hominum, que gesserim in corpore, reddere rationem, cui nec verbum prætervolat, nec subterfugit cogitatio.* Sub tam æquo liberatore meritorem, sub tam intimo secretorum inspectore, quis gloriabitur casum se habere cor? *Sola profecto quæ non solet gloriari, non novit præsumere, contendere non consuevit, gratiam inventura est in oculis pietatis, humilitas. Non contemdit iudicium, neque pretendit iustitiam, qui vere humilis est, sed dicit: (Psalm. 142.) Non intres in iudicium cum servo tuo Domine. Recusat iudicium, & postulat misericordiam, facilius sibi veniam impetrare potest, quam iustitiam vindicare confidens.* Hucusque Bernardus. Et sermone tertio de adventu Domini, post-

postquam dixerat periculum eorum, qui curam animarum suscipiunt, hæc ait: „*Accedit sane ad sollicitudinis cumulum, & pondus timoris, quod cum & meam & proximi conscientiam servare necesse sit, neutra mihi satis est nota: Utraque abyssus est inferscrutabilis. Utraque mihi nox est, & nihilominus exigit, à me utriusque custodia, & clamatur: Custos qui de nocte, custos qui de nocte.* Hæc Bernardus, qui nihil apertius dicere potuit pro incertitudine justificationis. Et ideo tam prolixè illum citare volui, ut propriis illius verbis convincerem, male agere, & in vanum laborare illos, qui contendunt Bernardum in contrarium trahere sententiam, dicentes illam pro certitudine gratiæ sententiam dixisse. Non est enim credendum virum, tam doctum, ac sanctum secum pugnantia dixisse, non loquitur Bernardus de certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, sed de certitudine fidei humanæ, quæ excludit dubitationem, & illi potest subesse falsum. Et quod hæc sit in illo loco Bernardi sententia, ex verbis cum ille ibidem dicit apertissime constat. Quia illa signa ex quibus persuadere vult illam certitudinem, solum sunt conjecturæ quædam, quæ humanam generant fidem, & possunt decipere, & non cogunt necesse est fidei Catholica. Et ipse satis se declarat, quod loquitur de certitudine fidei, quam potest habere in suis postulationibus ille, qui habuerit signa quæ ille numeravit. Aliud testimonium Bernardi citant adversarii nostri, ex sermone 74. super Cantica, sed neque illud est ad propositum, quia illic Bernardus non loquitur de adventu Dei in animam, per infusionem gratiæ, sed de adventu illius in animam antea iustificatam, quando venit per collationem dulcedinis spiritualis, & aliarum spiritualium consolationum. Nam alias si ille locutus fuisset de adventu Dei in animam per infusionem primæ gratiæ, consequens esset Bernardum illum, ille dixisse sæpe certum fuisse se peccasse mortaliter: quia dicit se certo scivisse Deum recessisse ab illo. Et hoc ipsum, etiam dicit sermone decimo septimo super Cantica, exponens illud: *Revertere dilecte mi, &c.* De illo autem adventu, qui fit per collationem spiritualium consolationum, bene potest homo esse certus, quia potest illas in se experiri. Sed ex istis non potest colligi certitudo fidei Catholica de inhabitante Dei gratia in homine, quia omnes illæ consolationes, Deo permittente, possunt dari à demone, qui sæpe transfiguratur se in Angelum lucis. Sunt alia testimonia Bernardi, quæ hostes nostri citant pro certitudine gratiæ, quam illi prædicant, cum tamen nihil pro illa dicat, quia solum dicit iustos sua bona opera cognoscere, & hoc ait in sermone tertio de adventu. Hoc autem etiam nos fatemur, quia (ut supra Gregorius dicit) nisi se bene agere cognoscerent, statim à bonis operibus cessarent: & ideo dixit optime Gregorius, quod oportet, ut sciendo nesciamus. Quod autem dicit sermone decimo septimo, ex parvis de testimonio justificationis, non est intelligendum de justificatione alicujus particularis hominis, sed de justificatione, quæ est in corpore Ecclesiæ, quæ est corpus illius. Sed nemo scit an ipse sit membrum, in quo sic Deus inhabitat per gratiam.

Tom. I.

Deinde, hanc incertitudinem gratiæ multi alii Prophetæ præter Hieremiam, suis testimoniis confirmant. Daniel siquidem ad Nabuchodonosor Regem, (*cap. 4.*) ait: *Peccata tua elemosynis redime, & iniquitates tuas misericordis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* In quibus verbis potissimum annotanda est illa vox, forsitan, quam constat esse notam dubitationis. Hæc autem dubitatio non oritur, ex duritia & austeritate Dei, quem constat esse misericordissimum, sed ex imperfectione operum nostrorum, de quibus merito dubitare debemus, an talia sint, ut misericordiam impetrare valeant. Si Daniel dubitabat Deum ignosciturum: ergo neque ille, neque Nabuchodonosor poterat esse certus de remissione peccatorum. Ideo Hieronymus in Commentariis, super Danielem prædicta verba interpretans, ait: „*Cum Daniel præcitus futurorum, de sententia Dei dubitaret, rem temerariam faciant, qui audacter veniam pollicentur peccantibus.* Hæc Hieronymus. Deinde, „*Propheta Joel exhortans Dei populum, ut convertatur, se in toto corde ad Dominum, quia benignus & patiens est, ait: Quis scit, si convertatur, & ignoscatur, & relinquit post se benedictionem?* Quæ verba interpretans, Hieronymus in Commentariis super Joëlem, ait: *Ne desperetis veniam, scelerum magnitudine, quia magna peccata magna debent misericordia, & si nos egerimus penitentiam, & ipsam penitebit comminationis suæ, & mala quæ comminatus est, nobis non inferet, nostraque mutatione sententiæ, & ipse mutabitur. Est, statim addit: Sed ne forsitan, magnitudo clementiæ nos faceret negligentes, adjunxit. Quis scit, si convertatur & ignoscatur Deus? Ego (inquit) hortor quod meum est ad penitentiam, & Deum ineffabiliter novum esse elementem, dicente David: (Psalm. 50.) *Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam.* Sed quia profundum divinarum sapientiæ & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius, quam præsumo, dicens: *Quis scit, si convertatur, & ignoscatur Deus?* Quod ait: quis, aut impossibile, aut difficile sentiendum est. Hæc ille. Illud etiam est manifestum, quod Ninivite ad prædicationem Jonæ, statuentes penitentiam peccatorum agere, & aliquam pro illis Deo satisfactionem reddere, dixerunt: *Quis scit, si convertatur, & ignoscatur Deus, & revertatur à furore iræ suæ, & non peribimus?* Super quæ verba Hieronymus hæc ait: „*Illud quoque, quod dicitur: Quis scit, si convertatur, & ignoscatur Deus?* Ideo ambiguum ponitur, & incertum, ut dum homines dubii sunt de salute, fortius agant penitentiam, & magis ad misericordiam provocent Deum. Hæc Hieronymus, qui mentem Prophetæ declarans, suam de incertitudine apertissime manifestavit sententiam. Eundem sensum habent verba illa, quæ Petrus Apostolus dixit Simoni Magor: (*Act. 8.*) *Penitentiam age ab hac nequitia tua, & roga Deum, si forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis.* Hæc Prophetarum testimonia quæ nunc ex Daniele, Joële, & Jona citavimus, non minus contra Catholicos assertores certitudinis gratiæ pugnant, quam contra Lutheranos.*

Paulus etiam contra hos omnes apertissimum reddidit testimonium pro incertitudine gratiæ, sic dicens: (*1. Cor. 4.*) *Mihi autem pro minimo est, ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum. Qui autem iudicat me Dominus est. Itaque nescite ante tempus iudicare, quoad usque veniat Dominus, qui & illuminabit abs-*

Xxx

con-

tione decimasextima, parte prima, quæstione tertia. Sanctus Thomas in prima secunda, quæst. 112. artic. 5. Richardus de media villa in primo dist. 1. artic. 2. quæst. 5. Durandus de Sancto Portiano in primo sentent. dist. 17. quæst. 4. Gabriel Biel in secundo sent. dist. 27. dubio ultimo. In quo loco immerito reprehendit doctorem subtilem Joannem Scotum, dicens ex dictis illius colligi, illum sentire hominem posse esse certum de sua justificatione. Et multi ex Catholicis, qui in Concilio Tridentino volebant defendere certitudinem gratiæ, conabantur trahere Scotum in favorem suæ sententiæ, mori auctoritate Gabriels, qui illud tribuit Scoto. Sed revera Gabriel & quotquot alii hoc tribuunt Scoto, falluntur: quia mentem illius minime affectui sunt. Nam ille in multis locis apertissime docet, neminem absque speciali Dei revelatione posse esse certum de sua justificatione. Hoc enim apertissime docet in primo sentent. dist. 17. quæst. 1. art. 1. in principio, ubi dicit neminem posse cognoscere certitudinaliter se esse in charitate. Idem dicit in 3. dist. 27. quæst. unica. In 4. dist. 5. quæst. 1. volens probare bonitatem ministri non esse necessariam ad susceptionem baptismi, dicit hæc verba: Cum enim quasi nullus possit esse certus de bonitate propria, multo magis nec de bonitate alterius: ergo si ex bonitate ministri dependet baptismus, numquam posset aliquis esse certus se vere recepisse baptismum, quod est inconveniens. Hæc ille. Et in eodem 4. sentent. dist. 9. quæstione prima, differens de præparatione necessaria ad digne suscipiendum Eucharistiam, dicit non esse necessarium, ut homo sciat se esse in gratia, quia alias nullus posset digne suscipere: quia nullus potest certo scire se esse in gratia. Cum ergo in tam multis locis apertissime doctor subtilis Scotus dixerit neminem posse esse certum de sua justificatione, merito sunt reprehendendi illi, qui auri sunt oppositam assertionem falso tribuere illi. Sed opus est ut respondeamus argumento, quo Gabriel & illius sectatores nituntur persuadere, Scotum sensisse hominem posse ex communi lege esse certum de sua justificatione. Dicunt enim Scoti sententiam esse, quod ad suscipiendam gratiam per aliquid sacramentum, satis est non ponere obicem, hoc est, tunc non peccare mortaliter. Quilibet autem potest scire se non ponere obicem, hoc est, non peccare mortaliter, quum suscipit sacramentum: ergo quilibet hoc modo recipiens sacramentum, erit certus se tunc esse in gratia. Sed in hoc argumento bis errat Gabriel, & qui illum in hac parte sequuntur. Primo, quia juxta doctrinam Scoti, non solum ille dicitur ponere obicem, qui peccat mortaliter, sed etiam ille qui accedens ad sacramentum nullam habet peccati contritionem, vel attritionem. Itaque non ponere obicem, ut Scotus docet, non est mere negative se habere, sed est habere aliquam peccati attritionem, quæ quamvis optimis circumstantiis ornata, non esset sufficiens dispositio ad consecutionem gratiæ. Hoc apertissime docet Scotus in quarto sententiarum dist. 4. quæstione 5. Et dist. 14. quæst. 4. art. 3. Et dist. 16. quæst. 1. parum ante solutionem argumentorum. Et dist. 18. bis. Et dist. 49. quæst. 4. ubi dicit, peccare illum qui recordatur se peccasse, & non dolet. Secundo errat Gabriel in suo argumento, quia male concludit, etiam si daremus illi quod non ponere obicem, sit idem quod non peccare mortaliter. Nam ad hoc ut suscipiens sacramentum sit certus certitudine fidei se suscepisse gratiam, oportet ut eadem certitudine sit certus se suscepisse sacramentum. Hoc autem nemini potest esse cer-

titudine fidei certum, quia nemo potest sic esse certus de intentione ministri, sine qua, ut definitum est in Concilio Florentino, non potest perfici sacramentum. Manet ergo Scotus pro nostra & Catholica sententia de incertitudine gratiæ, & non pro contraria in quam alii invitum & renitentem trahere conabantur.

Ex his omnibus quæ hæcenus pro incertitudine gratiæ protulimus, facile convincitur secunda pars assertionis Lutherani, quæ ait: omnem fidelem esse obligatum ad certo credendum, remissa sibi esse gratis peccata sua propter misericordiam Dei, & meritum passionis Christi. Si nemo potest esse certus de sua justificatione, consequens est necessarium, ut nemo teneatur ad habendum hanc certitudinem: quia alias homo obligaretur ad impossibile, quod est absurdum, & Deo injuriosum. Præterea, si omnes fideles & justi obligantur (ut Lutherani dicunt) ad certo credendum se esse justos, oportet ut ipsi Lutherani ostendant præceptum divinum apertum & clarum, quale ipsi à nobis in aliis causis exigere solent, quod aperte obliget omnes fideles ad hanc certitudinem, quam illi prædicant. At cum tale præceptum non possit in sacris libris reperiri, convincitur inde nullum tale præceptum non esse. Et hoc argumentum convincit potissimum Lutheranos, quia dicunt nihil esse recipiendum quod in sacris literis non habeatur. Rursus, si omnes fideles teneantur ad certo credendum esse justos: ergo qui illud non crederet, esset censendus hæreticus. Ecclesia tamen numquam hæcenus propter hoc aliquem proclamavit hæreticum, immo ex opposito dixit pijs mentes esse, que timent culpam esse, ubi culpa non est.

Post hæc omnia argumenta, ut totam istam de certitudine disputationem plene absolvamus, operæpretium erit Ecclesiæ definitionem in medium asserere. In cap. ult. De purgatione Canonica, Innocentius tertius definit esse indiscretum, & temerarium, & ineptum, jurare se esse immunem à peccatis, quamvis de illis penitentiam egerit. Et probat per illud Job cap. 6. *Si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Demum, Concilium Tridentinum sub Paulo tertio celebratum post longam & diligentissimam super hac re factam examinationem, & sessionem dextra Christianissimam de hac re protulit sententiam, quæ capite 9. decretorum illius sextæ sessionis habetur sub his verbis: Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa umquam peccata fuisse, nisi gratis, divina misericordia, propter Christum, nemini tamen fiduciam, & certitudinem remissionis peccatorum suorum jactanti, & in ea sola quiescenti, peccata dimitti, vel dimissa esse dicendum est. Cum apud hæreticos, & schismaticos possit esse, immo nostra tempestate sit, & magna contra Ecclesiam Catholicam contentione prædicetur vana hæc, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos, qui vere justificati sunt, absque ulla dubitatione omnino, apud semetipsos statuere se esse justificatos, neminemque à peccatis absolvi, ac justificari nisi eum, qui certo credat se absolutum, & justificatum esse, atque hac sola fide absolutionem & justificationem perfici, quasi qui hoc non credit, de Dei promissionis deque mortis & resurrectionis Christi efficacia dubitet. Nam sicut nemo pijs de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum seipsum, suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cum nullus scire valeat, certitudine fidei, cui non potest sub-

esse

esse falsum, se gratiam Dei esse consequutum. Et post datam hanc fidei definitionem, ne quis temere contra eam aliquid dicere auderet, duos Canones lætæ fœderis videlicet decimumtertium, & decimumquartum adjecit, quorum verba sunt quæ sequuntur. Si quis dixerit omni homini ad remissionem peccatorum assequendam, necessarium esse, ut credat certo, & absque ulla hæsitacione propriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Si quis dixerit hominem à peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat, aut neminem vere esse justificatum, nisi qui credit se esse justificatum, & hac sola fide absolutionem, & justificationem perfici: anathema sit. Hæcenus Concilium Tridentinum. Sed ne ex istis verbis male intellectis, lector aliquis labatur in aliquem errorem, volo lectorem admonere, ut bene advertat, & recte intelligat verba illa Concilii. Cum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum. Non enim per illa verba dicunt, neminem posse credere se esse in gratia, ita ut illi fidei non possit subesse falsum: sed dicunt neminem posse illud scire certitudine fidei, cui non possit subesse falsum. Nam potest esse, ut aliquis justus, per conjecturas aliquas à Spiritu Sancto donatas, hoc est, quas illi Spiritus Sanctus suggerit, credat fidetantum humana, id est, rationibus humanis innixa, se esse justum, & illi fidei non potest subesse falsum: quia cum Spiritus Sanctus suggerat, ut si credat, illi fidei non potest subesse falsum. Sed ille sic credens non erit certus de sua justificatione, certitudine fidei cui non potest subesse falsum. Quia etsi illas conjecturas justificationis illi suggerit Spiritus Sanctus, ille tamen nescit eas à Spiritu Sancto fuisse ministratas, quod erat necessarium, ut ille esset certus certitudine fidei, cui non potest subesse falsum. Nam alias etsi res in se sit certa, ille tamen non erit certus, quia sæpe poterit merito dubitare. Verba ergo Concilii intelligenda sunt de utraque certitudine, videlicet rei in se, & quoad nos, ita quod utramque certitudinem de sua gratia, nemo sine speciali Dei revelatione possit habere. Si autem ille sciat certo illam suggestionem esse à Spiritu Sancto, tunc illud dicitur esse specialem revelationem. Quia non omnibus justis datum est, ut sciant quæ suggestiones sunt à Spiritu Sancto, & quæ à spiritu malo. Nam si omnes hoc scirent, non dixisset Joannes in sua prima Canonica epistola (cap. 4.) *Nolite omni Spiritui credere, sed probate Spiritum an ex Deo sint.* Sed quia sæpe Angelus sathanæ transfiguratur in Angelum lucis, (2. Cor. 11.) ideo probare oportet spiritum an ex Deo sint. Et inde necessarium sequitur, ut qui certo scit spiritum aliquem esse à Deo, hoc habeat per specialem Dei revelationem. Qui autem illam habet, bene potest esse certus de sua justificatione certitudine fidei, cui non potest subesse falsum: quoniam qui ex tali revelatione certo crederet se esse justum, innititur divinæ revelationi, cui non potest, ut constat, subesse falsum. Et sicut illa est illi specialis, ita fides, qua certo credit, sicut tunc tenetur credere se esse justum, est illi specialis & non Catholica, quia non obligat alios quibus non est facta illa specialis revelatio. Cum ergo Concilium dixit, neminem posse certo scire certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, hoc idem est ac si dixisset, certitudine habita per viam, per quam non potest falli. Et talem viam habet ille, qui innititur revelationi divinæ. Qui autem per conjecturas

Tom. I.

ministratas à Spiritu Sancto, sed nesciens certo eas esse à Spiritu Sancto, credit certo se esse in gratia, non est certus certitudine fidei, cui non potest subesse falsum. Quia etsi res in se certa sit, via tamen qua illam credit, non est infallibilis, quia est solum ratio humana probabilis, cui potest subesse falsum. Et hæc certitudinem moralem, quæ habetur per viam fallibilem, quam nos appellamus fidem humanam, Concilium non negavit, neque nos negamus posse ex lege communi, contingere multis justis. Et hinc constat apertissime, quam parum faciat pro certitudine gratiæ illud testimonium Pauli, ex epistola ad Romanos: (cap. 8.) *Ipsè Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro, quod filii Dei sumus.* De hac Pauli sententia gloriabantur in Concilio Tridentino illi Catholici, qui certitudinem gratiæ defendere conabantur. Sed ex his quæ nunc diximus aperte constat nihil illis favere. Faremur quidem Spiritum Sanctum reddere justis testimonium per bona opera quæ faciunt, aut per alias conjecturas, quod sunt Filii Dei, sed non est illis omnibus certum, quod illud sit testimonium Spiritus Sancti. Hoc autem (ut diximus) est summe necessarium, ut vere homo sit certus de sua justificatione. Præterea, non omne testimonium, quod reddit Spiritus Sanctus homini de sua justificatione, est testimonium certitudinis. Nam testis non semper testatur ex visu, sed aliquando ex auditu, aliquando de credulitate, & de probabilitate. Sic eriam Spiritus Sanctus, & illi testimonium reddit justis, quod sunt filii Dei, non tamen semper omnibus æquale, sed quo nostræ menti plenius infederit, & per nostra opera se nobis patefecerit latius, eo certius reddit testimonium Spiritui nostro, quod filii Dei sumus. Hoc autem certum testimonium non omnibus dat, sed illis solum quibus revelat suam justificationem.

Hoc solum mihi jam superesse video, respondere scilicet aliquibus argumentis, quibus contra nos, & Catholicam veritatem pugnant certitudinis assertores. Primo quidem arguunt contra nos, & dicunt quod qui negant certitudinem salutis haberi posse, excruciant, & excarnificant conscientias: quia ducunt illas in desperationem, dum semper illas dubitare faciunt. Respondeo, quod non jubemus eos desperare. Non enim qui est incertus, desperat, quia est medium inter certitudinem & desperationem, videlicet probabilis quedam fides, aut opinio de sua justificatione. Sed isti ex uno extremo in aliud, sine medio pertransire volunt, quia ex negatione certitudinis gratiæ, volunt inferre desperationem salutis, & sic faciunt juxta id quod quidam dixit:

*Dum vitant stulti vitium, in contraria currunt.*

His argumentarioribus postquam respondere, id quod Horatius aliis similibus dixit in satyra, aut sermone primo, sic inquires:

*Non ego aurum*

*Cum veto te fieri, vappam jubeo ac nebulonem:*

*Est inter Tanaim quiddam, fœceruntque Vrselli.*

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines*

*Quos ultra, citraque nequit consistere rectum.*

Ad hunc modum ego respondeo, quod negando certitudinem, non volo concedere desperationem, sed solum volo dare medium aliquod inter utrumque, videlicet probabilem opinionem de propria justificatione. Hæc autem probabilis opinio ex multis testimoniis concipi potest. Sunt enim signa hujus justitiæ, & interioris gratiæ duo præcipua & magis certa, quæ majorem securitatem possunt præstare illis, qui certo sciunt se stare in fide

Yyy

Ca.

Catholica. Primum est dolor de peccatis omnibus contra Deum commissis. Alterum est propositum vitandi omnem ipsius offensam & servandi, per omnia cuncta, divina mandata. Et qui se certo noverint hoc animo esse, ut supra modum dolent de omnibus offensis, quas contra Deum admiserint, & eas in posterum, non obstantibus quibuscumque incommodis & periculis, quanta maxima poterint cura & diligentia, cupiant vitare, probabilissimam sane sue justificationis conjecturam habent, & toto pectore totisque precordiis, de tanto & tam præcellenti beneficio, possunt intra se merito exultare. Sunt etiam signa gratiæ inherens contemptus mundi & omnium rerum terrenarum, desiderium patriæ cælestis, libenter audire verbum Dei, delectari in rebus divinis, prompta voluntas ad executionem mandatorum Dei, nullum habere remorsum conscientie peccati mortalis, timor offendendi Deum. Verum hæc omnia non sunt adeo certa signa justificationis, ut habens illa, non possit decipi, iudicando se esse iustum; quia cum illis omnibus potest habere aliquod peccatum mortale latens. Sunt tamen signa efficacissima ad causandum (ut dixi) probabilem opinionem, aut certitudinem moralem de propria justificatione. Et hæc certitudo moralis est, quæ hominem non mediocriter consolari potest. Hæc est illud testimonium conscientie, in quo, juxta Pauli sententiam, (2. Cor. 1.) non inaniter gloriantur & lætari possunt. Ideo Chrysostomus homilia sexta, super posteriorem epistolam ad Corinthios, ait: „Quando damnare non potest conscientia nostra, quasi factus improbus à recto discesserimus, etiam si innumeram passimur acerba, etiam si undique feriamur, ac periclitemur, sufficit nobis ad solatium, immo non tantum ad solatium, sufficit nobis pura conscientia, verum etiam in hoc, ut coronemur dum præbet nobis testimonium, quod nihil commissimus mali, sed juxta Dei placitum hæc perpetuam ob virtutem, ob Philosophiam, ob multorum salutem. Hæc Chrysostomus. In quibus verbis id annotandum est, quod solum dixit, nos habere solatium & consolationem, ex testimonio nostræ conscientie, & non plenam certitudinem, argue securitatem. Sed ne ex hoc solatio & testimonio conscientie quis superbiat, & majorem quam decet capiat gloriam, audiat quid beatus Bernardus dicat libro secundo de consideratione ad Eugenium: „Volo (inquit ille) gloriari testimonio conscientie, sed non minus, ut eodem ipso humiliaris. Rara vox, nihil mihi conscius sum. Cautior in bonis ambulans, si & mala non lateant. Quamobrem, ut dixi, noveris te, ut inter angustias, quæ non defant, fruaris conscientie bono. Magis autem, ut scias, quid desit tibi. Nam cui non desit? Omnia illi defant, qui nihil sibi deesse putat.“ Hæc ille. Secundo contra nos argumentatur per illud quod habetur in symbolo Apostolorum, remissionem peccatorum. Ex quibus verbis illi colligere volunt, quod quilibet à Sacerdote absolutus, tenetur credere remissa sibi esse peccata. Sed hæc nihil nos movent, quia nos faremur remissionem peccatorum dari per absolutionem Sacerdotis, & omnes teneri ad credendum talem remissionem dari, si adsint reliqua omnia, quæ sunt necessaria ad talem remissionem impetrandam. Nemo tamen potest certo scire illa omnia adesse, quia nemo potest certo scire, quod se bene præparavit, integre scrutando suam conscientiam, ut de omnibus perfecte doleret, neque etiam potest, sibi certo constare de intentione sacerdotis, quæ semper est necessaria ad cujuslibet Sacra-

menti administrationem. Et propter hanc causam adultus qui ad baptismum accedit, quamvis certo sciat, se dolere de peccatis, non tamen potest certo scire se esse in gratia, quia non potest illi certo constare de intentione baptizantis. Tercio nobis obijciunt illud Apostoli (1. Cor. 2.) Nos autem non spiritum hujus mundi accipimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Ex quibus verbis hostes nostri colligere nituntur Apostolos per solam Spiritus Sancti infusionem, & non per aliquam specialem revelationem, cognovisse, dona Dei illis collata, & inde colligunt omnibus iustis, hoc esse concessum, ut cognoscant dona Dei, inter quæ numeratur gratia. Et confirmant, quia nisi hoc esset illis concessum, non possent Deo gratias agere, ut debent, pro beneficiis quæ à Deo receperunt. Sed isti argumentatores in multis decipiuntur, sic argumentantes. Primo, quia illic Apostolus, ut ex serie literæ constat, non loquitur de donis specialibus, quæ aliquibus hominibus Deus peculiariter concedit, sed de beneficiis communibus quæ Deus toti generi humano concessit, qualia sunt redemptio, doctrina fidei, sacramenta per quæ possumus justificari. Hæc autem omnia omnes iusti, immo etiam omnes fideles certo sciunt per donum fidei, quæ à Deo acceperunt. Et quod de hujusmodi donis loquatur in eo loco Paulus, verba quæ sequuntur aperte demonstrant. Nam post illa verba supra citata, statim hæc addit: Quæ et loquimur non in doctrinis humanæ sapientiæ, verbis, sed in doctrina spiritus. At Paulus & cæteri Apostoli commilitones illius, non prædicabant propriam alicujus hominis justificationem, aut alia peculiaria hominis dona, sed communia illa, quæ supra numeravimus. Deinde, decipiuntur in qualitate noveritæ, quam putant esse necessariam. Quod enim obijciunt, non posse hominem Deo gratias agere, ut debet, pro beneficiis receptis, si illa non agnoscit, recte quidem id dicunt, & nos fatemur; sed satis est ad reddendas gratias, cognoscere illa dona per probabilem opinionem de illis habitam, & non est necessaria ad hoc certitudo fidei. Et de ista cognitione intelligendum est, etiam illud quod idem Apostolus, in eodem loco ait, Quis scit hominum, quæ sunt in homine, nisi spiritus hominis qui est in homine? Nam est actus interioris nostre animæ certo, & evidenter cognoscimus, non tamen ita cognoscimus habitus interiores, sed solum illos cognoscimus per conjecturas, & probabili quadam opinione. Quarto nobis obijciunt illud Joannis ex prima sua Canonica Epistola (cap. 3.) Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quicquid petierimus accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodivimus, et ea quæ sunt placita coram eo, facimus. Ex istis verbis putant hostes nostri se convincere certitudinem gratiæ, & sufficientem testimonium ad illam, esse carere remorsu conscientie, & ex illa pace conscientie oritur custodiam mandatorum Dei. Sed nihil minus dicit in illo loco Joannes: quoniam in illis verbis non dixit Joannes, nos habere certitudinem, si cor nostrum non reprehenderit nos: sed dixit nos habere fiduciam. At fiducia longissime distat à certitudine, quoniam certitudo, ut in principio diximus, pertinet ad intellectum, fiducia vero pertinet ad voluntatem. Ad habendum autem hanc fiduciam impetrandi à Deo quæ petierimus, satis est probabilis quadam persuasio, quod sumus Deo grati, & quæ placita sunt ei, facimus. Quæ persuasio inde nascitur, quod mandata illius custodimus, & de nullo pecca-

cato accusat nos conscientia nostra. Quinto nobis obijciunt illud Joannis ex eodem loco: Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Translatio autem de morte ad vitam fit per justificationem, quoniam peccatum est mors, & gratia est vita animæ, & inde sequitur, ut translatio de morte ad vitam, fit translatio de peccato ad gratiam. Cum igitur Joannes dicat, nos scire hanc translationem, videtur inde colligi, nos etiam scire, quando sumus in gratia. Sed hoc argumentum in multis deficit. Primo, enim procedit ex sensu mystico, qui parum validus est ad probandum aliquod dogma. Nam peccatum intelligere per nomen mortis, & gratiam per nomen vite, sensus est mysticus, qui male huic loco convenit, & est, nimirum ab illa litera alienus. Nam Joannes illo loco de vera morte corporali loquebatur, & de vita æterna, ad quam iusti transferuntur, cum ex hoc mundo exeunt. Deinde erratum est in argumento, putando quod per illud verbum, scimus, quod positum est in littera Joannis, significatur notitia evidens, & qualis est illa quæ habetur per syllogismum demonstrativum, aut per intuitionem alicujus rei præsentis. Sæpe enim scire dicimus, ea de quibus solum habemus fidem divinam, aut fidem humanam, aut probabilem opinionem. Nam Petrus ad populum Judæorum loquens, dixit: (Act. 2.) Certissime sciat omnis domus Israel, quia et Dominum eum, et Christum fecit Deus: hunc Israhel quem vos crucifixistis. In quibus verbis constat positum esse, scire, pro credere. Et Joannes in eadem epistola, & in eodem capite, unde prima verba desumpta sunt, usurpat sæpe hoc verbum, scire, pro credere. Scimus (inquit ille) quoniam cum pepererit, similes ei erimus, quoniam vidimus eum sicuti est. Et iterum: Et scitis quoniam omnis homicida, non habet vitam æternam in se manentem. In his duobus locis constat scientiam capi pro fide divina, quæ credimus omne revelatum à Deo esse verum. Et juxta hanc significationem accipiendum est, illud verbum in loco prius citato, ubi Joannes dixit: Scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Credunt enim iusti se transferendos esse per mortem hujus corporis ad vitam æternam, dummodo vere diligant Deum: Nam illa vox, quoniam, illo loco valet tantum, ac si dixisset, dummodo, aut si. Et quia firmissime illud credunt & sperant, possunt propter certitudinem, præteritum pro futuro, translati sumus, pro transferemur. Hoc enim sæpissime contingit in facta scriptura, ut constat ex multis locis ejus. In omnem terram (inquit David) erit sonus eorum. Et iterum in alio Psalmo: Erigisti animam meam ex loco inferiori. Et iterum: Factus sum sicut homo, sine auditorio inter mortuos liber. In his omnibus locis, & in multis aliis, positum est præteritum pro futuro, propter certitudinem rei venturæ, quæ pro tam certa habetur, ac si jam præterisset. Et hoc idem fecit Joannes in loco prædicto. Sexto nobis obijciunt Lutherani illud Pauli ex epistola ad Romanos: (cap. 4.) Ideo ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei qui ex lege est solum, sed et ei qui ex fide est Abraham, qui est pater omnium nostrorum. Ex isto loco putat Philippus Melancton se triumphare de nobis, quoniam dicit ille, Paulum in illis verbis docuisse, nos iustos esse, ideo ex sola fide, ut possumus esse certi de remissione peccatorum nostrorum, quæ Deus nobis promittit. Sed certe Philippus nimium detorquet verba Pauli, (Rom. 9.) in sensum alienum. Nam Paulus illo loco, non loquitur

de promissione remissionis peccatorum, sed de promissione incarnationis Filii Dei, qui assumpturus erat carnem ex semine Abraham, & ad hanc finem dedit aliam promissionem de filio, quem paritura erat illi Sara. De hac secunda promissione dicit Paulus in eadem epistola. Promissionis enim verbum hoc est, secundum hoc tempus veniat, & erit Sara filius. Propriet has duas promissiones dicit Paulus in alia epistola: (Galat. 3.) Abraham dicitur promissiones. Hæc promissio incarnationis Filii Dei fuit data Abraham ante legem, & ideo dicit Paulus, quod non per legem fuit data promissio Abraham, aut semini ejus, quia si per legem esset data, intelligeret, quod solis Judæis ex semine Abraham secundum carnem promitteretur Christus; dicit ergo Paulus promissionem illam, ideo propter fidem Abraham datam esse, ut possit prodesse omni credenti in Christo, sive Judæo, sive Gentili; quoniam omnes hi sunt veri filii Abraham, & verum semen illius secundum spiritum. Hæc autem promissio facta est firma & certa non propter opera nostra, sed per solam gratiam Dei. Et hanc esse verum Pauli sensum, constat ex commentariis omnium factorum Doctorum, & potissimum ex Anselmo qui illum Pauli locum melius, meo quidem iudicio, interpretatur, sic inquit: „Non enim firmi est, sed potius incerta, firma & irrita, nisi ipse per gratiam suam impleverit eam. Ideo non de nostræ voluntatis potestate, sed de sua prædestinatione promittit. Promittit enim quod ipse facit, ut ipse faciat, non quod homines. Quia efficiant homines bona quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, ut illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, ut ipse faciat, quod promittit. Alioquin, ut Dei promissa compleantur, non in Dei, sed in hominum potestate est, & quod à Domino promissum est ipsis, reditur Abraham.“ Sed non ita fieri potest: per gratiam ergo Dei, gratuito munere nobis concessam, impletur ejus promissa, dum per donum suæ gratiæ facit, ut credamus & bene operemur, sicque hæredes efficiamur. Firma sit promissio omni semini Abraham, id est, non patri seminis, sed omni semini. Volebant enim Judæi, ut quantum ad eos, firma esset: & quantum ad gentiles, cassi. Sed non ita Deus promittit, eum diceret, in semine tuo benedicentur omnes gentes. Firma sit omni semini, id est, omni populo fidelium imitatorum Abraham. Hæc tamen Anselmus. Ex cuius verbis apertissimè constat Lutheranos perperam interpretari verba Pauli, & in alienum sensum illa detorquere. Septimo nobis obijciunt illud Joannis in Apocalypsi: (cap. 2.) Vincenti dabo manna absconditum, et dabo illi calculum candidum, et in calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Ex isto loco quidam ex Catholicis, qui in Concilio Tridentino contendeant, pro possibili certitudine gratiæ nitebatur convincere illam, & se in hac causa triumphare putabat. Sed certe nimis affectus suæ opinionis illum decipiebat. Nam cum verba illa Joannis sint nimium obscura, & quæ non facile ab omnibus intelliguntur, non deberent sumi ad probandum aliquod dogma, præsertim cum de illorum intelligentia non conveniat inter omnes sacros Doctores. Et quod magis miror de hoc argumentatore est, quod nullus ex sacris Doctoribus qui illum locum interpretantur, favet sententiæ illius; ita ut dicat per manna intelligi gratiam, aut justificationem, & rarus est qui dicat per nomen novum inte illi appellatio nem veri Christiani, aut veri filii Dei adoptivi. Nam fere omnes interpretantur de premio cælestis patriæ, in fa-